Noverint universi quod ego Petrus Forques filius Bartholomei Forques, parrochie de Vilamala, gratis et ex certa sciencia confiteor et recognosco vobis venerabili et religiose domine Sibilie dei gratia abbatisse Monasterii Sancti Danielis Gerunde presentique sum et esse debeo homo proprius et solidus vestri dicte domine abbatisse et dicti Monasterii et succedentium vobis in abbatia dicti Monasterii cum omni prole mea procreata et procreanda et bonis meis mobilibus presentibus et futuris, eo quia sum filius dicti Bartholomei Forques, qui est homo proprius et solidus vester racione mansi vocati Forques siti in dicta parrochia, qui pro vobis tenetur ad directum dominium, et de quo debetis habere homines et mulieres et alias servitutes. Et sic promitto quod ero vobis et succedentibus vestris in dicto Monasterio legalis et fidelis de corpore et avere, et de omnibus iuribus vestris et non intrabo causa habitandi aliquam Civitatem, Villam, Castrum, vel aliquem locum privilegiatum, nec aliquid faciam, tractabo vel procurabo, propter quod possitis ius et dominium que in me et prole et rebus meis mobilibus habetis et habere debetis amittere, et aliis dominus sibi adquirere quoquomodo. Obligando adhec vobis et succedentibus vestris in dicto monesterio personam meam et omnia bona mea ubique habita et habenda. Et pro predictis facio vobis dicte domine abbatisse homagium manibus comendatum iuxta usum et consuetudinem huius terre, iurans etiam sponte per deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a me tacta predicta, rata, grata et firma semper habere, tenere et servare, eaque attendere et complere, et non contra facere vel venire aliqua racione, iure, modo vel causa. Actum est hoc in Monasterio Sancti Danielis Gerunde, vicesima nona die mensis decembris, anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo nonagesimo Quinto. Signum Petri Forques predicti qui hec firmo et laudo predicta et iuro.

Testes huius rei sunt discretus Petrus Burdi de pl[ ]s capellanus dicti Monasterii Sancti Danielis et Bernardus Bajuli clericus beneficiatus in ecclesia Sedis Gerunde.

Signum Berengarii Vitalis notarii publici auctoritate regia substituti a Petro Tortosa tutore testamentario Jacobi Michaelis pupilli filii et heredis Bernardi Michaelis Jacobi de Campolongo quondam publici Civitatis bajulie et vicarie Gerunde [illegible] notariorum [illegible] Petri [illegible] quondam notarii [illegible] cum substitutione a predicto quondam Jacobo de Campolongo substituti, receptum et eius manu propria notatum, eumque cum eius originali nota [illegible] hic [illegible] comprobavi, scribi feci et clausi. Cum [illegible] in raso positis in tercia linea ubi dicitur [illegible].

[illegible] p[er] Capmany [illegible] tres [illegible]

Llibre 21, p. 115 Nº 119 Mas Forcas de Vilamalla

T. 255 X 375

nº 1016

Confessio de home propri[etat] per Pere Forcas qui es nat de Bartomeu Forcas sr. del mas Forcas de Vilamalla, a favor de St. Daniel. A 29 dmbre 1395. (Natividat 1394

AC f 329 v del plec del mas Forcas de Vilamalla, nº 22 del plec primer de Vilamalla

1077